

1580

novasque in iis turbas exorientes reprimere : Carolum ea cogitantem , monitorum patris memorem , in neutram propendere partem decrevisse ; opem ea in re , consiliumque Senatus poscere ; rogare in Reipublicæ clientelam recipi ; nunquam ab ea discessurum , quam ad Italiam quietem servandam neque minus ad se suasque res decusque sustinendum proclinatam intelligeret . Martinengio Senatus consulto responsum , de propensa in Rempublicam voluntate , deque iis quæ nuntiaverat , Carolo gratias agi ; alio nunquam Senatus cogitata atque actiones , quam ad publicam tranquillitatem respexisse ; idem Sabaudum non minus reipublicæ christianæ , quam suarum ditionum beneficio , quæ in Italiam foribus inter duos potentissimos Reges sitæ sint , facturum sibi persuasum esse . Ea omnia Pontifici Patres communicant , ut dissidiorum initia , quæ exilia plerumque neglecta , tractu temporis ingentia evadunt , unanimi consilio tollerentur .

At Pontifex , licet publicæ tranquillitatis , atque Italiam quietis studiosus esset , attamen alia coquebat animo , ex quibus gravissimæ contentiones eo anno in Italia , ac præsertim cum Veneta Republica exarsere . Harum duo potissimum capita extitere , alterum de religiosis locis censoria cum potestate invisendis , alterum de controversia inter Aquilejensem Antistitem ac Venetos nuper exorta . Illud summa animorum acerbitate agitatum , brevi definitum est ; hoc vero reliquum Gregorii pontificatus variis contentionibus exhausit . Quæ quoniam ea tempestate per Italiam non modo , verum per externas quoque provincias , variis sermonibus dissipata sunt , silentio præteriri nequeunt ; eoque in primis , ut pateat quantum christianæ reipublicæ intersit , eos , qui ad supremum pontificiæ dignitatis apicem sunt evesti , nihil per fastum moliri , at prudentia simul & charitate reliquos Principes complecti ; eorumque omni officio in sanctissimam illam Sedem studium & obsequium alere . Gregorius itaque , ut tota Italia religiosi viri , eorumque coetus inviserentur , statuerat ; idque Mediolani a Carolo Borromeo , Bononiæ a Camillo Paleotto Cardinalibus , Florentiæ quoque fieri curaverat ; id ipsum ut Venetiis efficeretur , decrevit . Ea de re Patres certiores facti , a Joanne Trivisanò , Venetiarum Antistite , ut id

mu-

*Gregorii
Pont. & Ve-
netorum ca-
troversia de
religiosis lo-
cis invisen-
dis.*